



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis  
Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

In Directorivm Inqvisitorvm Nicolai Eymerici Praefatio. Franciscvs Pegña  
Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

# IN DIRECTORIVM IN QVISITORVM Nicolai Eymerici Præfatio.

FRANCISCVS PEGNA LECTORI.



X TITIT olim , Lector benebole , Nicolaus Eymericus instituti Dominicani acer hæreticæ prauitatis in Regnis Regis Aragonum Inquisitor , Pont. Max. Urbano V. & Gregorio XI. Regique Aragonie Petro eius nominis quarto , carus . Hic opus edidit , quod Directorium Inquisitorum appellavit , quo utrissimum sunt semper usi Iudices violatae Religionis in causis fidei prudenter , & securè tractandis . Id opus à paucissimis habebatur , quoniam ante annos ducentos , quo tempore Eymericus floruit , post inuentam artem Impressiorum , fēmel tantum ( quod ego sciam ) aeneis fuit Typis Impressum Barcinonæ , Anno Domini M. D. III. Erant autem omnia exemplaria ram' Impressa , quam Manuscripta infinitis prope locis penitus deprauata , & mendosa , eaque vix iam reperiebantur : desiderabatur vero hoc opus , atque efflagitabatur communibus , & vehementibus omnium votis , & precibus , maximè vero illi ardenter expetebant , qui fidei negotia , aut iudicando , aut consulendo , aut scribendo , tractabant : cumque superiori anno me huic suscipiendo labori emendandi interpretandique , aut saltem non leuiter illustrandi operis facilem , ac promptum exhibuisset , multi viri doctissimi , atque integerrimi ex illis , qui Senatui S. Romanae Generalis Inquisitionis in causis Fidei deserviunt , intelligentes quantum utilitatis publicis commodis accederet , si denuo id opus quam emendatissimum prodiret in lucem ; nos ( quos huic fortassis oneri subeundo idoneos , singulari sua benignitate non meritis , aut eruditio ne nostra iudicarant ) cohortati sunt , vt hanc prouinciam nostris non æqualem viribus susciperemus : id tuic eo libentius , & ardentius nullis laboribus , aut vigilijs parcentes , aggressi sumus , quo euidentius cernebamus , si hoc in desideratum finem perduceretur , gratum in primis Deo Opt. Max. obsequium , ( ad cuius laudem , & gloriam omnes viri Christiani actiones referre debent ) vniuersis vero literatis , ac in primis Inquisitoribus hæretica prauitatis rem forsan gratam , nec aspernendam esse facturos . Itaque vt haec facilius , & commodius fierent , ijdem illi doctissimi viri , & in publica commoda propensissimi , varios Codices nobis exhibendos curarunt : primum illum Barcinonæ Impressum , & tres alios manuscriptos , quorum unus erat Illustris. & Reuerendiss. Cardinalis Iacobi Sabelli Inquisitoris maximi in tota Republ. Christiana , quem Codicem in Commentariis nostris Sabellianum vocamus , & hic erat verius satis : alias fuit Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalis Io. Francisci de Gambata Generalis etiam Populi Christiani Inquisitoris , recentioribus litteris exaratus , sed fidelis satis : ultimus superuenit Codex ex Inquisitione Bononiensi , quem propterea Bononiensem saepe nominamus , & hic erat ceteris vetustior , & emendatior , descriptus quippe summa diligentia temporibus Pij Papæ eius nominis secundi . Singuli hi Codices infinitis prope locis erant deprauatissimi : ex omnibus tamen unus est conflatus ( nisi fallor ) perfectus , qualis ab Eymetico prodisse putandum est , quoniam singulas non modo periodos , & sententias , verum , ( quod laboriosius erat ) singula etiam verba perpendicularentes , nullum passi sumus transire locum , sine iusta emendatione , & animaduersione . Erant Codices omnes non modo deprauati circa sensum verborum , verum etiam in multis locis imperfeci , & mutuli , in quibus deerant plurima , quæ ab auctore fuisse scripta apertissimè intelligebatur : cui incommodo magnuni auxilium attulit Codex Bononiensis .

Quoniam vero assidua nos haec perficiendi operis cura premebat , vbique in egregijs Bibliothecis vetustissima quæq; quærebamus , quæ lucem suscepere emendationi afferre possent , cui rei non mediocrem opem attulit vetustus quidam Codex membraneus manuscriptus repertus in interioribus Bibliothecæ Vaticanæ Conclauibus , in quo plurima erant eorum temporum , quæ proximè Eymericum præcesserunt , plurima eodem fere ordine , & verborum fetie

## PRAEFATIO.

serie conscripta, quibus Eymericus in Directorio fuerat usus, adeo ut saepe suspicati simus, Eymericum eum ipsum librum in manibus quandoque habuisse, eoque usum fuisse, nam & Bibliotheca custos asserebat putare se eum librum Auinione Romam cum alijs multis usum fuisse delatum, hic ergo plurimum etiam iuuit, ut ex Commentariis nostris, saepe poterit deprehendi. Quid sit denique praestitum, non facile dici potest: id tamen facile intelliget, qui nouam hanc editionem cum vetustis Codicibus conferat. hoc est certum, plus quam bis mille loca depravata sua pristinae integritati esse restituta. iam id in primis curauimus, ne a vetustate recederemus: nihil enim inuertimus, nihil immutauimus, nihil detraximus, sed Auctorem in singulis suum tenere cursum, ac methodum voluimus, deficiencia solum ex alijs addentes, & contorta dirigentes.

In his solum consulto videbimus a vulgatis recessisse, quod in prima parte addiderimus expositionem Beati Thomae super cap. Firmiter, &c. Damnamus, de sum. Trinit. & Fide Cathol. cum in manuscriptis nulquam reperiatur: in Barcinonensi tamen impresso super utrumque caput, nec expeditio promittitur, sed tantummodo illa apponitur, quae est super cap. Firmiter, nos utramque utilem iudicantes, imprimendam curauimus, quamvis incertum nobis sit, an Eymericus illas apposuerit. Rursus in secunda parte super tit. de hereticis in Decretalibus integras Hostiensis, & Ioannis And. lecturas (ut vocant) apposuimus. quamvis in impresso, & manuscriptis pauca quedam recitentur super unoquaque capite eorum glossematum imperfecta fragmenta, quae nos ex causa supplenda duximus.

Ad haec, quia nullus in caeteris erat haec tenus editus adnotacionum labor, nulla lucubratio, quibus lectors iuarentur ad intelligendam commodius huius Auctoris mentem, ea quoque res praestanda in primis fuit, itaque primum initio glossematum, & quæstionum singulorum, summaria, quæ vulgo vocant, sunt adhibita, numerisque notatae in signiores quedam, & illustriores res, & sententiae, ut uno obtutu facile percipiatur, quod præcipue in singulis disputationibus tractetur; & quoniam multa etiam nos obscura, & difficultia in Commentariis interpretamus, prænotatus est quoque numerus Commentariorum, qui singulis capitibus, & quæstionibus adiectantur facilioris studij gratia, ita ut nulla fere occurrere possit difficultas, quæ his adiumentis non valeat superari. Notati vero sunt in his Commentariis magna ex parte recensiores auctores, quoniam ab his veteres citantur, ut qui hos inueniret, illos quoque noscat.

In his omnibus non modo hortatorem verum, & coadiutorem habuimus ob singularem illius benignitatem F. Paulum Constabilem Sacri Palatij Magistrum, virum integerrimum, ac prudentissimum, ac in causis fidei tractandis oculatusissimum; qui deinde creatus est totius Ordinis Dominicani Magister Generalis, & F. Thomam Zobbius Brixensem Sanctæ, & Vniuersalis Romanæ Inquisitionis Commissarium Generalem, nunc vero Sacri Palatij Apostolici Magistrum, quibus magna cura, & labor etiam fuit, ut quam emendatissimus liber prodiret in lucem.

Iam quoniam multa erant in hoc opere ob vetustatem pene incognita, & abolita, multa obscura, & parum explicata, nonnulla vero immutata, ob subseqüentes summorum Pontificum, qui post Eymericum floruerunt, sanctiones, ut in hac quoque parte plene esset lectoribus satisfactum, hæc omnia brevibus interdum notis, plenioribus quoque Commentariis, ut natura cuiusque difficultatis postulabat, declaramus; ea in primis perstringentes, quæ ad disputandorum frequentem Eymericus offert occasionem, velut superuacanea, & ad institutum parum accommodata libenter omisimus. In his vero Commentariis multa consulta præstitimus, quæ forte alicui videantur reprehendenda, spectata horum temporum scribendi ratione: nam & ab improba, & prolixa legum, canonum, & interpretam citatione, seu allegatione saepissime abstinemus. Rursus omisis multis, eos in primis citamus, qui de hereticis, & eorum penitus tractatus scripsere: quod fecimus non absque ratione, cum peritis in arte potius sit fidendum. In his vero præcipiis noster labor fuit tradere ea, quæ iuri communis consentiunt; nam priuatas prouinciarum, aut Inquisitionum sanctiones, & consuetudines nolui- mus consulto in hoc opere vim legum obtinere, quamvis saepe illis vtatur velut æquis, & iustis, moneamusque interdum obseruandas.

In his omnibus plusquam assiduus annus consumptus est, usque sumus multa diligentia, & labore, iuuite nos ad multas difficultates superandas Honoratus Figuerola Patrius Valentinus, iuris virtusque Doctor eruditissimus, & nunc Ecclesiæ Valentine Canonicus, qui nobis scribentibus frequenta iuris loca ad varias, & difficiles controvërsias diluendas suppeditabat. Postremo ita iam opere constituto, ultima desiderabatur impressionis perfectio, quam ut in illustri officina sua impressoria consequeretur, nullis impensis pepercit inclitus

## P R A E F A T I O.

Populus Romanus, qui industria, & diligentia Petri Politi Senensis, cui emendandi, & corrigendi operis dum imprimebatur, cura commissa fuit, perfectum (nisi fallor) & omnibus numeris absolutum opus in lucem dedit.

*Quid sit in  
hac impref-  
tione prefl-  
tuam.*

Atque hæc quidem omnia in priori editione fuerunt diligenter, & præstata, & obseruata: cum vero iterum opus imprimendum foret, & per integrum triennij tempus, quod à prima impressione usque in hunc diem, elapsum fuit, plura nobis ad idem institutum spectantia esent proposita, tum à diuersis Reuerendissimis Episcopis, tum à vigilantisimis hæreticæ prauitatis Inquisitoribus diuersarum terrarum, tum etiam ab alijs viris doctis, ac pijs qui busdam postulantibus, vt copiosius aliqua enarraremus: alijs vero potentibus, vt apertius nonnulla explicaremus: alijs denique flagitantibus, vt nouis propositis dubijs, quæ frequenter solent occurrere, satisfacremus, atque responderemus; propterea factum est, vt omnes ingenii vires, cogitationes, & studia eo retulerimus, vt denuo impressum, emendatissimum, & locupletissimum prodiret in lucem. Itaque consultis de novo veteribus exemplaribus, nonnulla in hac sunt impressione emendata. quæstiones, & dubia, quæ nobis fuerunt proposita, competentibus locis sunt explicata. nomen Scholij in nomen Commentarij prudenter transmutatum est, quoniam fusior, & copiosior explicatio, Scholiorum nomen respuebat: Scholia enim breuiter potius indicare aliquid, quam enarrare plene solent. Multorum querelis satisfaciendum etiam omnino putauimus, qui cum vere dicerent magno studijs legentium impedimento esse separatos habere Commentarios à Quæstiōnibus, & capitib⁹, quæ declarantur, ideo nunc continenter singulis capitib⁹, & Quæstiōnibus singuli Commentarij annexuntur, ne sit laboriosum Lectoribus in diuersis locis querere, quæ in codem simul commodius esse deberent. Iam quantum spectat ad Doctores, quorum auctoritate nitimus in his Commentarijs, id in primis curauimus, vt verissime tam quoad doctrinam, quam quoad loca citarentur, tametq; artis Impressoriæ lubricitate aliquid quandoque erratum sit, quod quadam ex parte in notis erratorum animaduersum est.

*Quid auctor  
seruari cu-  
piat dein-  
ceps in hoc  
opere.*

Denique ita conati sumus in hac impressione omnia quantum in nobis fuit, perficere, vt non simus amplius in eo quicquam magni momenti immutaturi. immo vero hoc cupimus, & rogamus penitus quoslibet, qui nobis vel viventibus, vel vita functis hoc opus impressuri sunt, aut iussuri, vel permisuri, vt imprimatur, ne permittant aliquid immutari, addi vel minui, aut deleri.

Quoniam autem his nouis additionib⁹, atque immutationibus ex causa factis (vt paulo antea dictum est) obstabat præcedens S.D.N.Gregorij Papæ XIII. rescriptum inclito Populo Romano in prima huius operis impressione concessum, quo cauebatur, ne alicui liceret huic libro quicquam addere, detrahere, vel immutare, aut inuertere, vel aliqua interpretationa adiungere; proinde eius rei redditio ratio fuit Sanctissimo Domino Papæ, & consilium nostrum plene explicatum per R. F. Thomam Zobrium Sacri Palatij Apostolici Magistrū, cui viuæ vocis oraculo responsum est à Sanctissimo, vt non obstante prædicto indulto, hæc nobis licentib⁹ publicum commodum, & communem Christianæ Reipublicæ utilitatem, quemadmodum idem Magister grauiter testatur.

In hoc egregio opere propterea immiterio seueriores quidam Eymericum carpunt, quod multa in eo sine methodo, ac iudicio cumulasse videatur, multa inculcasse sèpius, multa sèpius varijs locis repetuisse; qui si auctoris institutum, & artificium paulo diligenter considerent, plane iniuste se reprehendere virum tantum intellexissent. Cum enim Eymericus cum ea colligere in unum decreuisset, quæ ad negotium Inquisitionis spectarent, id effectis consilio, quod isti vituperant, fuit ab hinc quadrangenis fere annis magna multorum, & valde commendanda diligentia, qui opera de rebus Ecclesiasticis componebant in communes locos referentes viuierla decreta similia eademque continentia, in quo egregiam laudem comparasse Burchardum, Luonem, Carnotensem, Hugonem, Catalanum, Gratianum, & alios quamplures exploratissimum est, quos in solo hæresis crimine dū imitatur Eymericus, cuncta colligēs in locum unum, quæ ad hoc negotium spectant, laudandus etiam vehementer est, eiusq; industria commendanda, hinc sèpe eadem repetit, & diuersis interdum locis inserit, quia disputatio series, & ordo ita postulat, vt suis locis in Commentarijs explicamus, dū obseruandū ad monemos quo consilio, qua methodo, & ratione quæq; vbiq; tradat, atq; disponat, longum efficit extera persequi, quæ à me vere de huius operis methodo, & artificio dici possint, nisi & breuitas tacere compelleret, & aliqua ex parte ostenderim in Præfationibus secundæ, & tertiae Patris. Tu interim Lector boni omnia consile, & perfectum opus accipe. Vale.

Roma ex Bibliotheca nostra, Calendis Decemb. An. M. D. LXXXIII.

NICOLAI